

⊙ primæ rationi, ductæ ab illo, quod præ sensu est. Equè tamen coercet vagam concupiscentiam, imò eam ita stringit, ut bona doceat non concupiscentiâ illâ, quæ sensum sequitur, sed ratione esse æstimanda. Tum etiam confirmat, quod dictum proxime; nescire hominem, quid in omnem vitam sit bonum. Hæc connexio & Mercero placet. Novem deinceps inter se contenduntur in ratione bonitatis paria, tanquam exempla eorum, quæ in istam comparationem venire possunt; momenti aliis sensum aliis rationem impellentibus. In primo pari comparatur *nomen*, res planè extra sensum & notitiam ejus posita, cujus bonum est, aliumque magis delectans, quàm ipsum; cum *myro*, re intimè suavissimèque afficiente: atque ista ratione definitur; utrum bonum, quod optare homo debeat, tale sit, ut & ipsum necessariò suavitate aliqua afficiat; an possit esse & extra ejus sensum positum. In altero *primum esse & sentire cum primo non-esse ac non-sentire* (intra quos terminos includitur, quod quæritur, bonum) confertur. In tertio & quarto contraria collocantur; tristitia & læta, κατὰ συμπαθειαν aut ἰδιον πάθος: è quibus illa præferuntur, ut magis ad finem hominis cooperantia. ad opus ipsum ac prosecutionem metæ quintum par referendū est. in sexto jugo animus operantis æstimatur. in septimo bona, in quibus ad operandum fomes & subsidium est: in octavo virtus operantis in opere ipso elucens appenditur. in nono demum finis ac meta, quam diversi diversam vel sigillatim vel cōjunctim studio atque opere in vita hac adipiscendam sectari possint, ponderibus suis in utramque partem libratur. Comparantur ergo impariter ratione bonitatis

α. *nomen & unguentum præstans*. Licèt hoc in sentiente, illud extra hominem sit: illud tamen voluptatem majorem affert & diuturniorem, & quæ ad amicos posterosq; imò patriam & gērem, omnesq; adeò, qui nomen alterius libenter nominant aut nominari audiunt, redundet. Tanta enim est vis virtutis, ut ubique amatores inveniat. Quòd si hoc civiliter & ἀνδρωπῆως verum; quantò majus bonum, nominari à Christo coram Patre suo & sanctis angelis? nomen scriptum habere in cœlo? Luc. 10:20. Nomen hic est laus sive testimonium virtutis: in qua ad soliditatem spectandum est, 1. ut sit testis locuples, qui possit de bono & malo judicare. 2. ut virtus sit vera. 3. ut laus redeat ad autorem virtutis.

tutis.